



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 46. Papæ timor ob Cardinalis Lotharingii adventum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

**Sæcul. XVI** frequentia, aut Hispanorum numerum  
**A.C. 1562.** excedere vel faltem æquare intenderent, simulque Lemovicensis Antistes, ex Hispanica Legatione sua regressus, narraffet Parisiis, aliam Præfulum Hispanorum plenam cohortem parari, Tridentum petituram; ipse tamen crederet, eos reipsa non venturos, cum tam multas difficultates, ubi priores venerant, experti fuissent.

## §. XLVI.

*Papæ timor ob Cardinalis Lotharingi adventum.*

**Plallav. l. 18. cap. 7. n. 3.** Ceterum varia de Lotharingo Cardinale, ejusque consiliis suspicio, atque opinio ubique divulgabatur: nonnulli enim spargebant, quod ille Episcopos Tridentum comitandi provinciam in se suscipere renuisset, ea tamen tergiversatio indicio esse credebatur, quod hac simulatione quoddam perverium consilium tegere machinaretur, cum certo sciretur, quod is non solum haberet in animo Tridentum adire, sed etiam confideret, quod non modo Nationis suæ Præfulibus, sed insuper Germanis, & Hispanis dominaturus foret, hocque vero similis esset affecuturus ob studia, quæ Lansacus Præfulum quamplurimis exhibuerat: Verum magis adhuc sinistra adversus eum suspicio crescebat  
 ex



Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

ex epistola, quæ a Lotharingio ad Ducem Wirtembergensem scripta, ejusque chirographo munita in Pontificis manus devenerat; nam in ea Cardinalis post crebram officii, ac submissionis testificationem, Ducem securum reddebat, quod Franciæ Regis Consilarii nihil unquam aliud cogitassent, ac voluissent, nisi statum civilem componere, & auctoritatem Regiam sustinere, plurimum vero ad id posset conducere conventus liber, & fructuosa morum emendatio; ad quod etiam efficiendum, inquebat de se Lotharingius, ego præfero animum cupidissimum conveniendi in aliquam Synodum, quam in Germania Cæsar hanc in rem convocaret. Postea affirmabat Cardinalis, in ejusmodi Synodo nihil decretum iri de dogmatum controversiis, nisi ad proximam hyemem, cum in id totis viribus conaturus esset, atque ad idem tenderent mandata Gallicis Oratoribus tradita, vi quorum hi præpedire jussi fuissent, ne doctrinæ capita citius discuterentur.

Perlectis igitur hisce literis summus Pontifex haud ultra dubitabat, quod Cardinalis eo sine Tridentum venisset, ut potius Synodi res penitus everteret, quam illas promoveri curaret: quapropter illius æque, ac ceterorum Franciæ



Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

Franciæ Præfulum adventus non parum sollicitum tenebat Pontificem: quinimo ipse etiam Simonetta (\*) Legatus datus ad Borromæum Cardinalem literis significabat, necessarium fore, ut ante Gallorum adventum Synodus aut dissolveretur, aut saltem ad illum transferretur locum, ubi Pontifex ipse adesse, suaque præsentia illos, qui dissolutionem concitare molirentur, reprimere valeret.

§. XLVII.

*Sessiois prorogatio a Franciæ Legatis petita.*

*Sarp. l. 6.*  
*p. 536.*

*Lett. de Lan-*  
*fac. a l'Isle*  
*10. Aou.*  
*dans les*  
*mem. de*  
*Trente p. 268*  
*et 269.*

Cum hæc interea gererentur, rursus Franciæ Oratores importunis precibus a Legatis petebant, ut Sessio usque ad hujus Regni Episcoporum adventum differretur: Jam enim hi Oratores die decima Augusti libellum porrigebant, exponentes, quod Rex eorum Princeps Conciliorum, quæ universam Ecclesiam repræsentant, decreta revere-

(\*) Pallavicinus ait: *Seripandus*, idque veritati historiæ magis consonum est, cum hæc a Seripando ad Borromæum scripta, ceteri quoque testentur Auctores, existentque ejusdem literæ 6. Septembris anno 1562. ad Borromæum datæ.